


b.15531302 →

319
19627

10

19624

7



cladib. et coll. Mayor de Cuenca

D E P R A E S E N T I

RERUM GERMANICARUM

S T A T V

JUDICIUM,

VIRI EXTERNI

Natalium splendore & dignitate illustris.

Anno 80. 150. XLVI.



vo in statu res Germanorum sint, quamquam multi, mole calamitatum pressi, sentiunt; pauci tamen sunt qui probè agnoscant & intelligent: transversos etenim plerosque agit aut studium partium, aut ex dissidio Religionis odium pertinax, aut dolor & indignatio; quæ omnia vim mentis & judicii eripiunt. Porro, uti de morbo melius judicant ejus expertes, & iis demum cura medendi demandatur; uti, quid maximè in adversis cavendum, optimè præcipiunt qui extra pericula sunt; uti denique accuratius spectatores considerant scenam quām actores: ita ego, qui & hic apathos sum, & extra omnem aleam miserrimæ hujus sortis, & denique spectator tantum non immerito sumo mihi hac in re judicandi partes, & promere volo sententiam meam; securus de fructu consilii, & operæ pretio: nam ut perierit mihi labor, conatus certè aut laude aut veniâ dignus erit.

A

Unum

Unum quondam Germanici Imperii corpus unius animo
regebatur: quod etsi postmodum in tot minutos Dominos.
scissum & distractum est, tamen sive mutuo metu, seu potius
ingenio gentis, ad rectitudinem quamdam & modestiam
facta, diu concors mansit, cum veteris Græciæ populis hac
in re sorte dispari; qui ante Imperium Macedonicum in
varias item Respub. divisi, continuis bellis se mutuo attri-
verunt, donec in unam Monarchiâ coalescerent. Sed nem-
pe ingenia Græcorum excitata, ambitiosa, rerum novarum
cupida, & ad turbas prona: Germani contrâ recti & æqui-
amantes, facile pacem ferre potuerunt. Mansisset ergo diu-
tius publica hæc cōcordia, nisi præter fatum, & ex affluen-
tia luxum, corruptosque mores (quæ solennes & statæ sunt
omnium mutationum causæ) præcipuæ & proximæ acces-
sissent, Religionis diversitas, & AVSTRIACÆ DOMVS
paulò ante hæc tempora meritò suspecta potentia.

Religio quidem discors, omnium sapientum judicio, dis-
cordiæ causa est: idque & ratio ipsa vult, ut in externis
istis rebus facile prompteque dissideant, qui in sensu inter-
no, & salutis ipsâ summâ, & exempla testantur, quæ tam
obvia nobis, ut superfluum sit recensere. Germania ipsa
utinam non tam evidens esset documentū hinc potissimum
exorti dissidii, quod per speciem pietatis, Principes in mu-
tuam perniciem inter se commisit. Anteà unus Dominus,
una fides, unum Baptisma; & hinc nullum odium, nulla
dissidia, & omnes solliciti servare unitatem spiritûs in vin-
culo Pacis.

Altera porrò causa, quam tetigi, AVSTRIACÆ DOMVS
est, quæ Majorum nostrorum temporibus, ut auctoritatis
multum, ita potentiae plurimum sibi comparavit. Primum
Augustam (proprio nunc & peculiari nomine) eam reddidit,
cùm per tot annos, miro (fatendum est) Numinis favore,
Romani Imperii dignitatem, non jure sanguinis, sed suffra-
giis liberis, inter tot odia & æmulationes aliorum Princi-
pum, ad præsentem, qui suæ stirpis decimustertius Impe-
rator.

rator est, continuavit. Alterum Formidabilem, cum præcipue
a temporibus Caroli V. tot Regnum, tot Provinciarum
acceſſione aucta, terruit Europæos Principes, & Monar-
chiæ non vanum metum incusſit. Secuta ergo paſſim fœ-
dera, & ex illis bella, quæ obicem ponerent tantis viribus;
Regno Gallæ præcipue admittente, ut tam potenter vici-
num, quoniam propriis non potuit, alienis & conjunctis vi-
ribus attereret: Germaniæ quoque arma ſepiuſ ſumente, &
cum aliis Principibus ſociante, ut ſe aduersus imminētem
dominationem tutaretur.

A pertis jam cauſis turbidi ſtatū, quam rationem ejus
pacandi inveniam? Detollendo Religionis diſſidio, quod
jam, uti dixi, in mutuum odium exarſit, vix alia ſpes re-
licta videtur; niſi forte velut animalia oſtro percita, vel
effrenes equi, nonniſi longo curſu laſſati, conſiſtunt: ita
hæc tam effusa licentia innovandi in Religione & mutandi
ſemper, poſtquam diu per varias opiniones vagata fuit, tan-
dem fatigata quiescat, & per ræſi tam longi litigii animi,
ſuā ſponte ad pacem, id eſt, ſanitatem redeant. Hæresis
quidē per bella & tumultus adoleſcit, cædibus propagatur,
ſanguine nutritur; ſed ut omnia humana iis rebus, quibus
maxime augescunt, cum ad ſumnum venerint, ſuapte na-
turâ intereunt; ita & hæc pestis velut enutrita nimium ani-
malia, & ſaginâ gravia, torpeat neceſſe eſt & emoriatur.
Certe in animis quorumdam jam nauſeam & fastidium pa-
rit, & abominantur illam, velut discordiæ parentem, &
tot calamitatum fecundam matrem. O utinam Germaniæ
Principes, tandem tot malis edocti, ſi non ſe poſtitis, ſaltem
temperatis hac in re ſtudiis, in columitati ſuæ consulant!
Utinam hoc falſo prætextu pietatis in partes distrahi, &
tam diurno, tam funefo, tam internecino bello no-
lint implicari! Utinam non de Religione tantum, ſed ut
vulgò dicitur, de regione cujusque agi ſentiant; & dum cæ-
lam, ut putant, defendunt, terram non amittant, pace ſibi
reddita, eam Ecclesiæ quoque reddituri!

Sed nempe metus ab AVSTRIACĀ DOMO vetat pacisci,
ne hæc non pax sit, sed pactio servitutis. Si dicerē, Austria-
cos pios, bonos Principes esse, longè à cōsiliis per vim & op-
pressionē parandæ dominationis abesse: etiāsi hoc, inquam,
verè dicerem, tamen meritò mihi opponeretur, Facilè ho-
mines in deterius mutari, potentia impotentiam gigni, na-
turam humanam imperii avidam, & denique eum qui plus
potest, et si bonus sit, tamen quia malo esse licet, formidari.
Non hoc igitur dicam, nec inficiabor, meritò Germaniam
timuisse sibi à potenti & regnatrice Domo, meritò parasse
præsidia libertati, meritò partim armis, partim consiliis fœ-
deribúsq; crescēti potentie obstitisse: hoc, inquam, fatebor
lubens; sed quod à Poëta dictum est, video passim inter ho-
mines obtainere, ut dum vitant vitia, in contrarium currant.
Timuit libertati Germania, & tutata est illam hactenus vi-
ribus suis; & si hoc studium diutiū retinuisset, facile pro-
priis armis se ab omni vi & oppressione vindicasset, & belli
pacisque arbitrium in sua habuisset potestate. Non acce-
sanda erant externa auxilia, sed cōjungendæ vires propriae,
& mutuā operā libertas defendenda. Sed cùm per simul-
tates pravas, vel Religionis odio, Principes inter se disside-
rent, evenit illud, ut cùm singuli pugnarent, universi pænè
vincerentur. Qui aliquot bellorū sinistro eventu, re tamen
adhuc satis integrā, abjecere animos, & citius quām opor-
tuit diffisi viribus suis, implorārunt externam opem, & fa-
tali quadam ignaviā se omniāque arbitrio alterius permise-
runt. Acciti Sueci, scilicet defensores, & vindices liberta-
tis; sociata arcto fœdere cum illis Gallia, idem sibi nomen
vindicat: cùm tamen Regnum suorum negotium agant,
illis acquirant omnia, illorum titulo retineant quæcumque
occuparunt; armisque eorum oppressa ubique Germania,
exhausta, deprædata, vastata, vice libertatis miserrimam
serviat servitutem, quam {prō pudor, prō dedecus!} ære &
sanguine suo quotidie emit, quotidie pascit. Pacem qui
speret? hæc in potestate eorum sita est, quorum {dummo-
dd

dd commodis suis consulant) nihil interest, illam salvam esse, & quorum animi, ab omni concordia alieni, pacis consilia aspernantur.

Gallia enim in primis, quæ numquam quiescere diu potest, et si foris hostem non habeat, domi invenit; gaudet ex-tero bello illigari, præcipue tot successibus aucta, & ad ve-teres terminos, id est, Alpes, Rhenum, Oceanumque ferè extenso imperio. Videt omnia quæ armis quæsivit, pace restituenda esse, & ideo illam detrectat omnino & defugit, illud quām maximè agens, ne detrectare videatur.

Suecia eam ex födere sequitur, quod eâ lege inter utra-que Regna sanctum est, ut nonnisi mutuò bellum gerant finiantque; neque ipsa certè nimis expedire sibi pacem pu-tat, dives bello, & exigui paulò antè Regni in tantum pro-pagata potentia. Ergo Danum temerè lacescitum reconciliare forsan cuperet. Cæterū illo ab Austriacis partibus avulso, arma ingenti damno Germaniæ sumpta, nisi magnâ ejusdem mercede non exuet.

AUSTRIACI forsan pacem non defugerent, refocillandis viribus, quas attritas nonnihil sentiunt: sed non precariam, aut sibi iniquam, aut necessitate expressam, & denique qua-lem vix ut hoc rerum statu obtineant.

Intra horum arbitrium omne negotium pacis, nisi isti ve-lint, vos ò Germaniæ Principes hactenus extra omnem ejus spem positi, præda tantum posterioris estis, & victoriae pre-tium. Raptatur patria vestra alternis armis, in quibus nullæ partes vestræ sunt. Uter horum vincat, vestra non interest. Non agitur de libertate, quætitur quis vos possideat. Et-jam si pax aliqua redeat, eam non commodis vestris, sed utilitate propriâ omnes isti, quorum septi armis & velut inda-gine clausi estis, metientur. Olim AUSTRIACOS tantum ti-muistis, nunc illi ipsi, qui vobis præsidio esse debuerūt, om-nium maximè metuendi sunt. Capessite ergo Rempub. in commune consulite, resumite animos, & tamquam externe opis nou indigi, vestras circumspicite, & tum sociate ac-

jungite vires. Quæ cùm omnibus simul sint imparés, ad par-
tes accedite, quæ commodiōres rebus vestris erunt. Equi-
dem consulerem nulli horum sociari, & omnes suspectos
meritò habere: sed quia in eum rerum statum devenistis, ut
alterutri accedendū sit, deligite quem tutius sequamini.
Quem autem? Cognoscite quæso, & mecum pensitate.

Hactenus omnia Europæ foedera hanc perpetuam legem
habuēre, ut per illa Galicæ AVSTRIACÆ que potentiae
æquilibrium quoddā esset. Ad hanc trutinam aptata Prin-
cipum consilia, & prout lanx ista propendebat, ita ei pon-
dus externalium virium adjectum detractumve est. Itaque
quia AVSTRIACI nimio plus prævalebant, partes Gallicas
secuti sunt plerique Principum, iisque se eo consilio con-
junxerunt, ut hanc stateram ad verum modum reducerent.
Eadem verò Regula & ultrà retinenda est, si volumus sta-
tum eumdem rerum diutiūs retinere. Revocandæ, inquam,
vires partis utriusq; ad illud Europæ salutare temperamen-
tum, quod nunc videtur mihi Gallica potentia, multum
AVSTRIACOS supergressa, excessisse; ita ut periculū quod
ab ipsis imminebat, conversâ rerum facie, ab illis sit me-
tuendū. Etenim si judicio, non afflctu ducimur, quem non
terreat, tam ampli, tam divitis Regni quieta, & nullis dissid-
iis domesticis distracta, & quod momentum rerum est,
certo hærede & domino firmata possessio? Domi pax, bel-
lum in hostico, unitæ vires, juncta & annexa omnia. Op-
portuni aditus, auxilia prompta, munimenta ubique vali-
da, potentissimi exercitus, tot Urbes, tot Provinciæ partæ,
& quod vel maximè perpendendū, non aliter quam mem-
bra uni corpori, adiecta; denique omnia illa, quæ instru-
menta potentiae dixit quispiam, planè ad votum: nempe
opes, arma, consilia, foedera, fortuna. Suecia porrò foedera-
ta, domi & ipsa quieta, totius ferè Balthici littoris domina,
dum vires AVSTRIACAS robore suo distrahit & cōminuit,
novis illi semper incrementis præbet locum, quæ ne in Mo-
narchiam Europæ excrescant, meritò, inquam, est metuen-
dum.

dum. Facilius enim fortuna crescit, quam incipit. Et ubi
brevis est potentia, non suâ vi nixa: ita cui firmum ac soli-
dum subest fundamentum, si vel tantum communes vires
excesserit, ipsa per se augetur, & amplius nescit cohiberi.
Exemplo sit vel Romana Monarchia, quæ de Italiæ domi-
nio tamdiu luctata, postquam æmulam Carthaginem sub-
vertit, incendit aut inundationis instar, Orbis Imperium
occupavit. Idem verò à Gallia Germaniæ & Europæ non
vanè metuendum concedet facile, qui illius æmulas AV-
S T R I A C A S vires rectè expenderit, infirmiores multò, &
non solum occupando Imperio, sed tuendo etiam ferè im-
pares. Etenim Hispania, quæ fundamentum & basis DO-
MUS istius est, & ubi inclusus vitalis (ut ita dicam) spiritus
ejus potentiae, domi duplice eoque difficillimo bello disti-
netur: in Italia, Sabaudo à partibus suis abstracto, & exer-
citū hostilis Ductore, de Mediolanensi Dueatu semper ali-
quid potest amittere: in Belgio, vix Gallicis & Batavorum
(quos potentiam Gallicam sibi adeò vicinam non metuere
mirum est) armis renititur, & de retinendo illo vel despe-
rat vel metuit: in Germania alter familiæ ramus, hinc Gal-
lico exercitu, sociatisque Hessis, inde Suecorum validis vi-
ribus, & nupero in Hungaria hoste quatitur, & ægrè tot in-
sultibus resistit. Reliquum denique Imperii corpus dissitum,
malè vincitum, ægrè mutuis viribus, auxiliisque cohærens;
& majori ferè, ut retineatur ad tutelam, impendio quam
proventu ad augmentum. Itaque hoc rerum statu, non mo-
dò nullus ab AVSTRACIS metus est, sed imò inde non le-
ve periculum, ne illis fatiscentibus, Gallis pateat oecupan-
di Imperii campus. Effracto etenim obice æmulæ potentiae
(quam uti Europeæ politiæ expediebat minui, ita tolli, om-
nino non expedit.) quis non videt prona illis omnia, & in-
expedito fore?

A duobus veluti rivalibus, sed armatis, libertas Germaniæ
ambitur, Gallis & AVSTRACIS inquam; quādiu isti pares
erunt, in tuto illa, & suę spontis; alterutrius ruinā oppri-
munt.

tur. Interest ergo saluti ejus & incolumenti, ut mutua opera subveniat parti fatiscenti, ut foveat hanc aemulationem, & viribus suis sustentet. Interest deinde paci & tranquillitati, cuius non aliter ratio constabit, quam Suecorum eversa, & Gallorum temperata potentia, & ad eum statum rebus redactis, in quibus fuere ante belli initium.

Quare, o Principes, hoc agite. Novo foedere vos jungite, & animo, nullâ factione imbuto, nullius potentiae obnoxio, boni tantum publici studio, arma in illos stringite, qui pacis & quietis vestrae inimici, libertatem praeferunt, ut Imperium evertant: qui ipsi Imperio inhant, illaque proxime imminent. Suecos in primis sedibus finibusque vestris omni conatu depellite, nullam umquam pacem, nisi illis depulsis, habituri. Hi sunt hirudines & sanguisugae vestrae, non defensores (uti se dici volunt) sed invasores, sed prædones Germaniae, qui direptionem & vastitatem ejus pensari sibi volunt, qui navatam operam imputant, quae illos uberes, divites, tot rebus auctos, vos miserios, inopes, exhaustos reddit. Quare tamquam piacularis publicae vindictae victimas devovete. Gallos hoc ipso ad illud temperamentum virium, quo Europae salus nititur, revocate; & ne pacem defugiant, efficie: quam post tot calamitates redire tandem & reduci vobis necesse sit, illis saltem expediatis: neque vos impares reputate, satis firmi, satis validi, si unanimes, si concordes. Spes equidem aliqua affulserat, ex Cöventu nuper Francofurti indicto, vos diutius saluti publicae & libertati cœmuni non defuturos, sed cum artes eorum, qui discordia vestra nutriunt bellum, vos tam salutari consilio, à concordia inquam & foedere mutuo averterint; iterum si vobis pax, si salus, si patria curæ, in unum coalescite, & afflictis rebus solatium præsidiūmque non ab externorum Principum auxiliis (quos sibi studere palam est) sed à vobis ipsis expectate.